

III.  
NEOVIDENSIS

Nro. 34. (*Neovidensis* 1808. Nro. 33.)

*Politica mortuorum Colloquia.*

---

*Elysium-Meum.-Die Veneris* 6. May. 1808. (*Neov.* 19. Apr. 1808.)

---

Epicuri de grege porcorum.

*Cicero.*

*Colloquentes Umbrae.*

*Epicurus. Voltaire.*

**V***oltaire.* Adfero rem non levi voluptati futuram tibi. Enciclopediam!

*Epicurus.* Et quamobrem?

*Voltaire.* Tuam illa doctrinam tuetur, teque virtuti deditum hominem exhibet.

*Epic.* Fateri debeo candido: satius fuisset, tibi que mihi que honorificentius, si a me defendendo supersedisses; loquor ut sentio: candido & sine fuce — tui illi Enciclopedistæ ita prorsus mihi videntur, ut hodierni *Berolinenses*, quorum tibi descriptionem faciendi de præsentis animus est. „Si, (ita loquitur Berolino de 3. Aprilis epistola) si inquam cuivis memorabilem Epocharum genio temporis peculiarem denominationem imperitare volumus, tum hodiernum sentiendi spiritum: *spiritum partialitatis* adpellandum habebimus — præprimis hæc apud nos ad magnum gradum pertigit; qualem se & verbis & scripto probat. Quod si numerosas libellorum, & scartetarum turbam legamus,

exigua spes relinquitur: frusta incendiaria, situlæ extinguendo incendio aptæ, scintillæ lucis, faces piceæ, &c. quæ omnia in eo conveniunt; quod incendio digna sint; pro grano a partium studio alieni iudicii, plena partialitate texunt vasa; jam absque distinctione in statum militarem Borussicum invehuntur, ultionemque desumunt ob non negabiles usurpationes, quibus in statum civilem hic status usus est, alii vindictam spirant, de Civibus factæ desumendam, ut primum Galli decesserint, ibi Theologus docere vult, ut arces defendendæ, hic Colonellus sacrum allegat codicem — civilis ex postulat: officiales militares, & in arcibus, & campo patenti, aut transigentes officiales, aut semet ipsos glande plumbea interimere debuisse, ibi contra propugnat militaris: homini civili non esse falcem suam in militarem messem immittendam — nisi vapulare velit — alibi denique ad rabiem usque sermo agitur de usurpationibus prætorianarum Copiarum, quasi hæ solæ exercitum Borussicum effecissent, & hic ad raucedinem usque lacessitur convitiis hodierna nationalis turma, quod ex diversis statibus coalescat, & fortassis progrediens crura nondum satis venuste explicet, quasi non omnis status bonos milites suppeditare, & modica illa exercitatio non intra breve tempus condisci posset! —

Ita importuna scribillatio quovis tempore obtinet; præstantior utique est descriptio Palinodiæ Principis Asturiæ, de qua sequentia:

*Madridi de 1. Aprilis.* Continuatio promulgati per extraordinarias aulicas Ephemerides Edicti.

„Die sequente 29. Octob. Secretariatus Status, & interimalis Consilii Præses, ad Conclave Regis, patris, convocatus est, quorum sententia erat: ut hodie regnans Majestas super argumento litteralium documentorum judicetur; Sua Majestas ad Conclave excelsi Genitoris sui vocata, in eo adprehensa est, quin cum ullo alio, præter Cubicularium & Camerarium communicare negotia posset. Eadem illa nocte omnes servitii Suae Maj. addicti comprehensi, & carceri mancipati sunt.

Die 30. pater Marchioni *de Caballero* litteras Mandati de dato ejusdem diei expedierat, quæ per totum regnum promulgandæ decernebantur, & quibus Dominus, & rex noster, non absimiliter omnes ejus officiales ceu proditores patriæ denotantur; hæ litteræ, teste ipsa Sua Maj. & 4 Status Secretariorum, non ex alius, quam *D. Emanuelis Godoy*, principis pacis, manu emanabant, qui eotum Madriti commorabatur. Autographum hujus documensi actis processualibus adcludi non potuit, quod in negotiis hujus argumenti illud manibus Imperantis consignetur, & solum Chirographum expediri, promulgarique soleat.

Eodem die, quo Sua se Majestas in custodia teneri, & omni Communicatione orbam conspexit, opportunum existimabat, quæ in gratiam salutis publicæ egerat, pu-

blici juris facere, tandemque statu violentiæ, in quo versabatur, se eximere.

Quapropter Marchioni *de Caballero* declarabat: sibi ex voto Hispaniarum promovendi salutem, cum principe ex gallica progenie matrimonium ineundi consilium esse, progressusque, quos in hoc argumento iniverat, plene liberos, ultroneosque fuisse; adjecit porro: omnia, quæ suo ex parte suscipiuntur, non alio fine suscipi: quam ut illustribus parentibus suis super irrestricta fiducia, quam in *Don Emanuele Godoy* collocant, oculos aperiret, quodque Ea, ex sollicitudine, ne is auctoritate, & potentia sua in regno abutatur, necessarium, & e re publica censeat: Duci *Infantado* litteras plenipotenciales proprio pugno absque *dati die*, & atro quidem sigillo munitas transmittere, vigore quarum is, pro Casu obitus excelsi Genitoris sui, imperium supremum militare Copiarum in Castilia nova reciperet. Eodem tempore princeps pacis palatium *Escorial* ingressus, Conclave suæ nunc regnantis Majestatis petiit, cui scriptas litteras, quibus Sua Majestas excelsum Genitorem suum deprecatur, & ab eo veniam actorum petit, propinabat, Sua Majestas novum hoo filialis Cultus in illustres parentes suos argumentum prætermittere nolens, litteris iis subscripsit, quæ postmodum Decreto *de 5. Nov.* inserta sunt. Cum hodie regnans Majestas plene convicta sit, nullum aliud delictum Duci *Infantado* quæsitiæ præstantiæ, & insignis meritorum subdito huic,

prout & *D. Joanni Escoiqutz* imputari posse, qui postremus auctor litterarum a Maj. manu propria subscriptarum, & scripti ex urbe *Tavalera*, quod propensio sincera in Regium alumnum suum ei indidit, cumque reliquos etiam causæ implicitos insontes censeat, idcirco jubet: ut acta Consilii de 6. Nov. inquisitioni substernantur, novumque Consilium pro revisione, & receptione excitatæ adversus Ducem *Infantado*, *D. Joannem Escoiqutz*, Marchionem *Averde*, Comitem *Orgaz*, & alios comprehensos motæ quæstionis, ex Crimine perduellionis, erigit, ut declaretur: nunquam adversus hos ullum argumentum atrocis id modi facinoris cujus in Decreto de 30. Octob. & 5. Nov. mentio fit, locum habuisse, in summa: nunquam vel remotissimum indicium adversus fideles hos subditos præsto esse.

„Commissarii novi Consilii unanimi suffragio Sententiam tulerunt;” (hic sequitur in gallica versione Monitoris, ex qua hanc promulgationem excerptimus, non in optimo nexu cum præcedentibus sententiæ die 25. Jan. latæ tenor, cum brevi adnexo scripto ad regem ex parte Consilii. Per hanc sententiam accusati plene insontes pronunciantur, & immunes declarantur, Justitiæque & benevolentia regis commendantur, qui vero, ut notum est, duobus post diebus 27. Jan. accusatos ab aula relegavit.)

*Parisiis* 14. April. Copiæ in stipendiis nuper Reginae *Hetruriæ* Turinum adpulere, & ibidem a Generali Duce *Menou* lustratæ sunt.

Terræmotus die 2. h. m. in urbe *Grenoble* observatus in pluribus etiam australis Galliæ partibus præprimis Districtu transalpino, olim Pedemontio, observabatur. In pluribus locis ædificia collapsa, & homines sauciati. Hospitium in monte *Cenis* in fundamentis vacillabat, audiebaturque subterraneum murmur instar tonitru; præcipuus impetus erat in his regionibus, ut in urbe *Grenoble*, circiter 6 horam vespertinam, at serius, & partim illuciente die sequente, sentiebatur succussio, quæ tamen minus vehemens erat.

*Madrito die 5. Aprilis.* Edita postrema novi Regis proclamatione, perfectissima quies, & securitas Incolis postliminio reducta est; processus adversus principem pacis adhuc suspensus est, hic regis olim *Cliens* vili vico tribus ab urbe lapidibus distante arcte clausus tenetur, & a 100 prætorianis, atque 500 pedibus custoditur; mater ejus nequaquam diem supremum obiit, ut primo opinio ferebat, verum relicto urbano strepitu rus petiit. Frater ejus *Diego* arci inclusus cum omnibus complicibus. Generalis *Cassæ* Amortisationis Director, qui prodigalitem principis adjuvabat, vinculis tenetur. Accusatur hic regius cliens: quod cum *Anglis* clancularia habuerit negotia, & colluserit. Facile concipi potest, ut plebs hispana adversus omnia, quæ *Angliam* redolent, odio feratur, cum *Angli* Hispanis tanta damna intulerint, & ad præsens usque inferant. —

tus,  
& c  
quæ  
g'lis  
opib  
rem  
le&ā  
bran  
ad 2

Impe  
adpu  
Suar  
ces:i

sus S  
bellu  
Feb.  
ne in  
Gent  
hendo  
re do  
„Imp  
res re  
hacter  
que e  
ceu a  
suoqu  
U

Regiu  
scedet

Asper Libellus, in principem pacis editus, jam quintum recusatus est, quo solenniter, & clare contenditur: quod arcem Ceutam, quæ Gibraltariæ objecta, in ora Africæ, Anglis tradendi consilium habuerit, translatis eo opibus thesauroque immani, quem corrasit; rem memorabilem, notam tamen, esse: collectas ab eo opes quingentos milliones librarum efficere, demto parato ære, quod ad 25 milliones æstimatur.

M. Dux Bergæ promulgandum curabat: Imperatorem Gallorum propediem Madritum adpulsum, (Parisiæ paginæ de 15. Aprilis Suam Majestatem die 11. hujus Burdigala discessisse, memorant.

*S e p t e m t r i o.*

Die 16. Martii. Altera Declaratio adversus Sveciam Petropoli prodiit, prima, quæ bellum contra Sveciam declaratum est, jam 10. Feb. publicata est. In hac secunda Declaratione innuitur: Regem Sveciæ contra omne Jus Gentium legatum Russicum Holmiæ comprehendendum curasse, cum legatus Svecicus libere domum redire possit; in epilogo dicitur: — „Imperatorem omnes Europæos Status certiores reddere: a se ex eo tempore Finniam, quæ hæcenus Svecica provincia habebatur, quamque ejus copiæ præliis in ditionem rede gere, seu armis occupatam provinciam considerare, suoque imperio adjungere.“

Ulteriores Petropoli nuncii hæc memorant: Regius Svecicus legatus his diebus *Revaliam* discedet, tamdiu ibi moraturus, usque *Classis*

Svecica, quæ eum abducendi mandatum habet, Revaliam non adpulerit.

Svecicum munimentum *Swartholmia*, quod a nostris copiis occupatum est, præter præsidarios 800 & 250 machinas bellicas continebat. Nati Finni ex præsidiariis lares repetere jussi, Sveci captivi tenentur. Svecicus Colonellus *Grippenberg* arci præfuit — deprehensæ in ea machinæ bellicæ, & bombæ, ad oppugnationem *Schwaburgæ* adhibentur. Vexilla diversis occasionibus hosti erepta jam allata sunt. De obsidione arcis *Abo* nondum uberiores nuncii adpulere.

Decreto Cæs. hæc continentur: Proto Medicus & actualis Status Cons. *Frank* erga propriam petitionem a nobis ab officio dimittitur, clementerque jubemus; ut ei annue 3000 Rubelæ ad dies vitæ titulo pensionis assignentur.

*Hafnia de 5. Aprilis.* De strennis præsidiariis navis: *Principis Christiani*, hesterno ex Svecia certe nunciatum est: Capitaneum *Jessen*, adhuc supersitem, & in Angliam delatum esse, officiales maritimi *Rotbe*, *Top*, *Farry* & *Thostrup* plus minus graviter saucii decumbunt, *Gothenburgi*, *Willemoes*, *Järken*, *Soland*, & *Dählerup* occubere — Locumtenens *Willemoes* ipse ille est, qui proelio de 2. Aprilis cum ipso *Nelone* contendit, sibi que magnam in hoc proelio gloriam procuravit, — hæc nunciata a Præfecto arcis *Helsinborgæ*, qui de his Locumtenentem *Tychsen* certiozem fecit; qui tamquam Parlamentarius *Gothenburgum* missus est.